Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Juristische Sammelhandschrift – Nürnberg, STN, Cent. II, 79
Signatur:	Cent. II, 79

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

aliud in dissensionem et scandalum populi statuendum quod de adhibita novitate.

Innocentius III. archiepiscopo Tyrensi.

De infidelibus ad fidem conversis utrum si ante conversionem suam secundum legis veteris instituta citra gradus consanguinitatis a canone denotatos coniuncti fuerint separari debeant post baptismum consultationi tue taliter duximus respondendum quod matrimonium sic contractum non est post baptismi lavacrum separandum cum a Iudeis dominus requisitus si liceret uxorem ex qualibet causa dimittere ipsis responderit: Quos deus coniunxit homo non separet, per hoc innuens esse matrimonium inter eos.

Idem Tholosano archiepiscopo.

Quod super his tibi super eo videlicet quod pater et filius cum matre et filia et duo cognati cum duabus cognatis avunculus et nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonia licet tibi duximus respondendum quod licet omnes consanguinei uxoris sint viri affines et omnes consanguinei viri sint uxoris affines inter consanguineos tamen viri et uxoris ex eorundem scilicet viri et uxoris coniugio nulla prorsus affinitas est contracta propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Ne autem infradus gradus prohibitos matrimonium contrahatur de-les publice matrimonium iungere et presumptores ecclesiastica districtione punire non obstante consuetudine que dicenda est potius corruptela.

Idem.

Quia circa etc. Porro de nobili viro N. petitus dispensatione super indulgentia remanendi remanendi scilicet cum ea quam ipse in quinto gradu consanguinitatis a sede apostolica optinenda falsa nobis causa fuerat allegata videlicet propter lites civitatis ante dispensationem obtentam unica filia quam habebat viam fuerit universe carnis ingressa pro tua consultatione continebat dissimulare potens ut remaneat in copula sic contracta cum ex separatione sic asseris grave in terras scandalum imminere.

Item.

Tua nos duxit fraternitas consulendos utrum illorum sufficiat testimonium ad matrimonium ~~contrahendum~~ dirimendum qui consanguinitatis gradus ab avunculo et nepote videlicet fratris filio vel sororis incipiunt computare. Nos igitur inquisitioni tue taliter respondemus quod cum consuetudo multum favoris optineat testes qui ad divortium celebrandum producuntur consanguinitatis computant a stipite debere incipere i. a parentibus vel germanis et sic per ordinem distinguere gradus nobis

Nota quod propinqui consanguinei mariti non consanguinei mariti [illegible] licite contrahunt et [illegible] prohibitio non [illegible] consanguinei [illegible] nec coniunctio de [illegible]

Novitate. no. novitates vitandas. s. de consuet. cum consuetudinis. xii. di. Non. De infidelibus. xi. conversis. supple qui fuimus. A canone quis nesciat. Que. xxxv. q. ii. c. i. et iii. et contradicunt in aliis. c. iudicem. xxxii. q. v. ad sedem. Dominus requisitus. xxvi. di. deinde opponitur. Esse matrimonium inter eos. si matrimonium est inter iudeos ubi est individua coniunctio. xxvii. q. ii. § i. sed ipsi separantur dato libello repudii. xxxiii. q. ii. non satis. ergo non est matrimonium inter eos. Sed dicendum fit sui parte. i. de divortiis. gaudemus. Item alter infidelium si convertatur ad religionem reliquo nolente illi cohitare sine contumelia creatoris solvitur matrimonium. i. de divor. gaudemus. ad finem. et c. questio. ergo non est inter eos individua coniunctio et sic non est matrimonium. Sed potest exponi individua i. apta non dividi. vel intellige illam descriptionem de matrimonio rato et consummato quod est tantum inter fideles. Item alia ratione non est matrimonium inter eos. ipsi enim contrahunt eo proposito ut cum voluerint separentur dato libello repudii. sed hoc est contra substantiam matrimonii. xxxii. q. ii. solet aliquando. et s. de cond. app. c. ult. Ideo. Si hoc pactum exprimatur in ipso contractu non est inter eos nec inter christianos esset matrimonium. Sed non explicant eo pacto licet postea abiciant uxores de facto est matrimonium. ergo inter eos est sed non ratum. i. de divor. questio.

Quod sicut. ii. impediri. Quia affinitas cum contracta inter consanguineos viri et uxorem ipsius non transit ad consanguineos uxoris nec econverso. unde possunt licite copulari. Non obstante consuetudine. ergo consuetudo non excusat matrimonium. s. de sponsa duorum. c. ult. ar. contra. s. de cog. spi. c. i. et c. si. et eo. et xxx. q. iii. obiciuntur. et consuetudo quia propter scandalum legitimas personas ad contrahendum facit illegitimas. et sic loquitur ille decretalis. s. de cog. spi. et c. obiciuntur. non contradicit. quia quando nos ille erat cum tamen non erat contrahere cum illis personis. sed modo est. sed consuetudo quantumcumque longa non potest personas illegitimas ad contrahendum facere legitimas. ut hic dicitur. intellige nulla consuetudo posset facere matrimonia inter consanguineos licita. immo quanto plus simul essent tanto gravius peccarent. i. e. non debet.

Quia circa. ii. in quinto. Ipse: non est necesse in gradu isto aliquam indulgentiam. i. e. non debet. A sede apostolica. no. quod solus papa potest dispensare circa gradus consanguinitatis. nec etiam legatus. s. de transact. c. ult. et xxxv. q. iii. querelam. quedam lex. et c. scripsit. ar. contra. s. e. quod dilectio. ibi solvitur. Falsa causa. no. quod falsa causa allegata non viciat dispensationem. s. de consi. c. ult. ex parte. no. quod falsa demonstratio non perimit legatum. C. de falsa. cau. adiec. l. ii. ff. de condi. et demon. falsa demonstratio. ll. cum tale. § falsam. et institu. de le. § huic proxima. et ff. longe. ff. de l. i. fisic. § i. Item causa semel probata sive vera sive falsa concessum ex illa causa non revocatur. insti. qui. et quibus ex causis ma. non pos. § semel. sed contra videtur quod ista ex tali dispensatione non sint secure. quia tacita veritate et falso suggesta dispensatio est obtenta. unde non debet valere. s. de rescript. super litteris. et expressum videtur. i. de sen. ex. cum pro causa. ubi de hoc. sic et in voto. s. de fide instru. quod super. et iii. q. iii. § nondum. ar. est ipse quod dicit ~~silere~~ dissimulare quod falsa causa non viciat dispensationem. Item habes hic quod proles est causa dispensandi in casu proposito. sic. xxxv. q. viii. c. i. sed contra. ex. de ritu nupt. quod in provincia. non credo quod valuisset ista dispensatio sic obtenta nisi hec decretalis postea emanasset et ita ex ista dissimulatione ex causa que hic subicitur licite possunt simul esse. aliter non essent tuti.

Tua nos. i. multum favoris. s. de cons. appo. c. ult. et qui matrimonium ac pos. Vel germanis. et ita non est necesse incipere a stipite. sed sufficit a fratribus. s. de testibus. fies. et c. licet. in prin. et xxxv. q. v. c. i. et ii. de divor. porro. xxxv. q. vi. de parentela. et s. de testib. licet. Equipollentibus. non refert an proprio nomine vel per circumlocutionem expressum aliquid exprimatur que equipolleat proprio nomini. s. de testibus. licet. et ff. si cer. pe. cum. Non dicit. ii. tempore. xxix. di. sciendum. iii. di. erit autem. et xxxii. q. iii. quis ignoret. et c. obiciuntur. et xxxii. q. viii. occidit. et s. de transact. c. ii. de sen. ex. super eo. computaverit. de pe. di. i. novit deus. xxii. q. iiii. inimutabilis. In secundo et tertio. ut melius intelligas hanc litteram videas quid sit primum genus affinitatis quid secundum et quid tertium. Genus affinitatis primum secundum et tertium invenire debes per hanc regulam. persona addita persone per carnis copulam mutat genus et gradum. genus dico attinentie vel gradum. Ergo frater meus est mihi consanguineus in primo gradu consanguinitatis. frater meus ducit uxorem illa est persona addita per se per carnis copulam illa mutat genus attinentie i. alio genere attinentie attinet mihi. frater meus qui ille est mihi consanguineus illa est michi affinis. sed non mutat gradum. quia sicut frater est consanguineus in primo gradu sic et illa mediante fratre est michi affinis in primo gradu primi generis affinitatis. filius vero primum genus affinitatis adde per carnis copulam alicui de tua consanguinitate aliquam personam. illa persona est affinis omnibus consanguineis viri sui in primo gradu affinitatis. et hoc genus tamen habet prohibitionem viri mortuo viro illius mulieris puta fratre tuo. illa non potest habere aliquem de consanguinitate viri sui. ergo patet quod consanguinei et consanguinee uxoris mee sunt michi affines in primo genere affinitatis. Secundum vero habes si addas genus affinitatis ad personam per carnis copulam primo generi hoc modo. uxor fratris mei est michi in primo genere affinitatis. mortuo fratre meo adde illi alium virum. illa erit tibi affinis in secundo genere affinitatis et ille secundus antiqua viri mortua illa non poterat habere accipere aliquem de consanguinitate prioris mariti usque ad quintum gradum. et de isto genere secundo habes. xxxv. q. iii. de propinquis. sed hodie non prohibetur ut hic dicitur. Tertium habes si tertium genus adde personam per carnis copulam secundo generi. ut hic habes tertium genus. ubi gratia. Seius fuit maritus relicte fratris tui. mortua illa relicta maritus eius qui est tibi in secundo genere accipit aliam. illa est tibi in tertio gradu genere. et illa olim mortuo viro suo non poterat alicui copulari de consanguinitate tua. cum illa esset tibi ~~affinis~~ et consanguineis fratris tui in tertio genere usque ad quartum gradum. de hoc genere habes. xxxv. q. iii. porro. et primum genus extenditur tamen ex una parte. secundum et tertium genus quandoque ex una parte ut in predictis exemplis quandoque ex utraque. ut in uxoribus duorum fratrum que sunt inter se in secundo genere ex utraque parte apposito altero fratre mortuo alii copulatur alteri ille erit in tertio genere uxori alterius fratris. primum genus dicitur quia primo emanat de consanguinitate vel quia una persona mediante [illegible]

Ex causa quod iudeis in gradu prohibito matrimonium [illegible] post baptismum susceptum nullatenus dividuntur

i. fratris ex eadem parte

Quia ista non valet dispensatio abrepta [illegible] propter [illegible] nisi causa postea [illegible] et [illegible] quod sibi fuit causa expressa nisi eam papa postea confirmet

Tua nos. testes quod de gradu consanguinitatis deponunt computare debent incipere a stipite vel a germanis

de consanguinitate et affinitate